

debat : non autem malas creando naturas atque substantias , in quantum sunt naturæ atque substantiæ , ubi Florinus errabat.

LXVII.

Is. 65. 17.  
2. Petr. 3.  
13.  
Apoc. 21.  
1.

HÆRESIM quamdam sine auctore & sine nomine Philaster commemorat , quæ dicit hunc mundum etiam post resurrectionem mortuorum in eodem statu in quo nunc est esse mansurum , neque ita esse mutandum , ut sit cælum novum & terra nova , sicut sancta Scriptura promittit.

LXVIII.

Exod. 3. 5.  
Jos. 5. 16.  
Isai. 20. 2.

EST alia hæresis nudis pedibus semper ambulantium , eo quod Dominus dixerit ad Moysen , vel ad Josue : *Solve calciamentum de pedibus tuis.* Et quòd propheta Isaias nudis pedibus jussus fuerit ambulare. Ideò ergo hæresis est , quia non propter corporis afflictionem sic ambulant , sed quia testimonia divina taliter intelligunt.

LXIX.

DONATIANI , vel Donatistæ sunt , qui primùm propter ordinatum contra suam voluntatem Cæcilianum Ecclesiæ carthagenensis episcopum schisma fecerunt : objicientes ei crimina non probata , & maxime quòd à traditoribus divinarum Scripturarum fuerit ordinatus. Sed post causam cum eo dictam atque finitam falsitatis rei deprehensi , pertinaci dissensione firmata , in hæresim schisma verterunt : tamquam Ecclesia Christi propter crimina Cæciliani , seu vera , seu quod magis judiciis apparuit , falsa , de toto terrarum orbe perierit , ubi futura promissa est , atque in africana Donati parte remanserit , in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis extincta. Audent etiam rebaptizare catholicos : ubi se amplius hæreticos esse firmarunt , cum Ecclesiæ catholicæ universæ placuerit , nec in ipsis hæreticis baptis-

ma

ma commune rescindere. Hujus hæresis principem accipimus fuisse Donatum , qui de Numidia veniens , & contra Cæcilianum christianam dividens plebem , adjunctis sibi ejusdem factionis episcopis , Majorinum apud Carthaginem ordinavit episcopum. Cui Majorino Donatus alius in eadem divisione successit , qui eloquentia sua sic confirmavit hanc hæresim , ut multi existiment propter ipsum potius eos Donatistas vocari. Exstant scripta ejus , ubi apparet eum etiam non catholicam de Trinitate habuisse sententiam , sed quamvis ejusdem substantiæ , minorem tamen Patre Filium , & minorem Filio putasse Spiritum sanctum. Verùm in hunc , quem de Trinitate habuit , ejus errorem donatistarum multitudo intenta non fuit ; nec facile in eis quisquam , qui hoc illum sensisse noverit , invenitur. Isti hæretici in urbe Roma Montenses vocantur , quibus hinc ex Africa solent episcopum mittere : aut hinc illuc afri episcopi eorum pergere , si forte ibi eum ordinare placuisset. Ad hanc hæresim in Africa , & illi pertinent , qui appellantur Circumcelliones , genus hominum agreste & famosissimæ audaciæ , non solum in alios immania facinora perpetrando , sed nec sibi eadem insana feritate parcendo. Nam per mortes varias maximèque præcipitiorum , & aquarum , & ignium se ipsos necare consueverunt ; & in istum furorem alios quos potuerint sexus utriusque seducere , aliquandò ut occidantur ab aliis , mortem nisi fecerint comminantes. Verumtamen plerisque donatistarum displicent tales , nec eorum communionem contaminari se putant , qui christiano orbi terrarum dementer objiciunt ignotorum crimina afrorum. Multa , & inter ipsos facta sunt

Circumcelliones.

schismata, & ab iis se diversis coetibus alii atque alii separarunt, quorum separationem cetera grandis multitudo non sensit. Sed apud Carthaginem Maximianus contra Primianum ab ejusdem erroris centum ferme episcopis ordinatus, & à reliquis trecentis decem, cum eis duodecim qui ordinatione ejus etiam præsencia corporali interfuerunt, atrocissima criminatione damnatus, compulit eos nosse etiam extra Ecclesiam dari posse baptismum Christi. Nam quosdam ex eis, cum eis quos extra eorum Ecclesiam baptizaverant, in suis honoribus sine ulla in quoquam repetitione baptismatis receperunt, nec eos ut corrigerent per publicas potestates agere destiterunt, nec eorum criminibus per sui Concilii sententiam vehementer exaggeratis communionem suam contaminare timuerunt.

LXX.

PRISCILLIANISTÆ, quos in Hispania Priscillianus instituit, maximè gnosticorum & manichæorum dogmata permixta sectantur. Quamvis & ex aliis hæresibus in eos sordes, tamquam in sentinam quamdam, horribili confusione confluerint. Propter occultandas autem contaminationes, & turpitudines suas habent in suis dogmatibus & hæc verba: *Jura, perjura, secretum prodere noli*. Hi animas dicunt ejusdem naturæ atque substantiæ, cujus est Deus, ad agonem quemdam spontaneum in terris exercendum, per septem celos, & per quosdam gradatim descendere principatus, & in malignum principem incurrere, à quo istum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari. Adstruunt etiam fa-

ta-

\* Sola editio Lov. in ear.

talibus stellis homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cæli esse compositum, sicut hi qui mathematici vulgò appellantur, constituentés in capite arietem, taurum in cervice, geminos in humeris, cancrum in pectore, & cetera nominatim signa percurrentes, ad plantas usque perveniunt, quas piscibus tribuunt, quod ultimum signum ab astrologis nuncupatur. Hæc & alia fabulosa, vana, sacrilega, quæ persequi longum est, hæresis ista contexit. Carnes tamquam immundas escas etiam ipsa devitat: conjuges, quibus hoc malum potuerit persuadere, disjungens, & viros à nolentibus feminis, & feminas à nolentibus viris. Opificium quippe omnis carnis non Deo bono & vero, sed malignis angelis tribuunt, hoc versutiores etiam manichæis, quòd nihil Scripturarum canonicarum repudiant, simul cum Apocryphis legentes omnia, & in auctoritatem sumentes, sed in suos sensus allegorizando vertentes quidquid in sanctis libris est quod eorum evertat errorem. De Christo sabellianam sectam tenent, eundem ipsum esse dicentes, non solum Filium, sed etiam Patrem, & Spiritum sanctum.

DICIT Philaster, esse alios hæreticos, qui cum hominibus non sumunt escas, sed utrum cum aliis qui ejusdem sectæ non sunt, an etiam inter se ipsos id faciant, non exprimit. Dicit etiam eos de Patre & Filio rectè, de Spiritu autem sancto non catholicè sapere, quòd eum opinentur esse creaturam.

ARHETORIO quodam exortam hæresim dicit nimium mirabilis vanitatis, quæ omnes hæreticos rectè ambulare, & vera dicere

affirmat: quod ita est absurdum, ut mihi incredibile videatur.

- LXXIII. ALIA est hæresis, quæ dicit in Christo divinitatem doluisse; cum figeretur caro ejus in cruce.
- LXXIV. EST alia, quæ triformem sic asserit Deum, ut quædam pars ejus sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus, hoc est, quod Dei unius partes sint, quæ istam faciunt Trinitatem: velut ex his tribus partibus compleatur Deus, nec sit perfectus in se ipso, vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus.
- LXXV. ALIA est, quæ dicit aquam non à Deo creatam, sed ei semper fuisse coæternam.
- LXXVI. ALIA dicit, corpus hominis, non animam, esse imaginem Dei.
- LXXVII. ALIA dicit, esse innumerabiles mundos, sicut opinati sunt quidam philosophi gentium.
- LXXVIII. ALIA sceleratorum animas converti in dæmones dicit, & in quæque animalia suis meritis congrua.
- LXXIX. ALIA, descendente ad inferos Christo, credidisse incredulos, & omnes exinde existimat liberatos.
- LXXX. ALIA, sempiternè natum non intelligens Filium, putat illam nativitatem sumsisse à tempore initium: & tamen volens coæternum Patri Filium confiteri, apud illum fuisse antequam de illo nasceretur, existimat; hoc est, semper eum fuisse, verumtamen semper eum Filium non fuisse, sed ex quo de illo natus est Filium esse cœpisse. Has hæreses \* putavi in hoc Opus meum de Philastri Opere

\* Hic editi perperam addunt, quæ absque auctorum nominibus sunt.

re transferendas. Et alias quidem ipse commemorat, sed mihi appellandæ hæreses non videntur. Quascumque autem sine nominibus posui, nec ipse earum nomina memoravit.

LXXXI. LUCIFERIANOS à Lucifero Caralitano episcopo exortos, & celebriter nominatos, nec Epiphanius, nec Philaster inter hæreticos posuit: credo tantummodò schisma, non hæresim eos condidisse, credentes. Apud quemdam tamen, cujus nomen in eodem ejus Opusculo non inveni, in hæreticis Luciferianos positos legi per hæc verba: *Luciferiani*, inquit, *cum teneant in omnibus catholicam veritatem, in hunc errorem stultissimum prolabantur, ut animam dicant ex transfusione generare; eandemque dicunt, & de carne, & de carnis esse substantia.* Utrum ergo iste propter hoc quod de anima ita sentiunt (si tamen verè ita sentiunt) eos inter hæreticos ponendos esse crediderit, rectèque crediderit; an etiam si id non sentirent, si ve non sentiunt, ideò tamen sint hæretici, quia dissensionem suam pertinaci animositate firmarunt, alia quæstio est, neque hoc loco mihi videtur esse tractanda.

LXXXII. JOVINIANISTAS quoque apud istum reperi, quos jam noveram. A Joviniano quodam monacho ista hæresis orta est ætate nostra, \* cum adhuc juvenes essemus. Hic omnia peccata, sicut stoici philosophi, paria esse dicebat, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodesse jejunia, vel à cibis aliquibus abstinentiam. Virginitatem Mariæ destruebat, dicens eam pariendo fuisse corruptam. Virginitatem etiam sanctimonialium, & continentiam sexus virilis in sanctis eligentibus cælibem vitam,

\* Vide Admonit. in lib. de Bono Conjugali, Tom. 6.

conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat: ita ut quædam virgines sacræ provectæ jam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur. Non sanè ipse vel habebat, vel habere volebat uxorem: quod non propter aliquod apud Deum majus meritum in regno vitæ perpetuæ futurum, sed propter præsentem prodesse necessitatem, hoc est, ne homo conjugales patiat molestias, disputabat. Citò tamen ista hæresis oppressa, & extincta est, nec usque ad deceptionem aliquorum sacerdotum potuit pervenire.

LXXXIII.

CUM Eusebii historiam scrutatus essem, cui Rufinus à se in latinam linguam translata subsequentium etiam temporum duos libros addidit, non inveni aliquam hæresim, quam non legerim apud istos, nisi quam in sexto libro ponit Eusebius, narrans eam existisse in Arabia. Itaque hos hæreticos, quoniam nulum eorum ponit auctorem, Arabicos possumus nuncupare: qui dixerunt animas cum corporibus mori atque dissolvi, & in fine sæculi utrumque resurgere. Sed hos disputatione Origenis præsentis & eos alloquentis, celerimè dicit fuisse correctos. Jam nunc illæ commemorandæ sunt hæreses, quæ à nobis non apud istos repertæ sunt, sed in recordationem nostram quomodocumque venerunt.

LXXXIV.

HELVIDIANI exorti ab Helvidio, ita virginitati Mariæ contradicunt, ut eam post Christum alios etiam filios de viro suo Joseph peperisse contendunt. Sed a mirum ni istos, prætermisso Helvidii nomine, b Antidicomaritas Epiphanius appellavit.

PA-

a MSS. Sed nimirum istos.

b Epiphanius Antidicomaritas appellavit.

PATERNIANI inferiores partes humani corporis non à Deo, sed à diabolo factas opinantur, & omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes impurissimè vivunt. Hos etiam Venustianos quidam vocant.

LXXXVI.

TERTULLIANISTÆ à Tertulliano, cujus multa leguntur opuscula eloquentissimè scripta, usque ad nostrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe carthaginensi: me autem ibi posito ante aliquot annos, quod etiam te meminisse arbitror, omni ex parte consumiti sunt. Paucissimi enim qui remanserant, in Catholicam transierunt, suamque basilicam, quæ nunc etiam notissima est, Catholicæ tradiderunt. Tertullianus ergo, sicut scripta ejus indicant, animam dicit immortalem quidem, sed eam a corpus esse contendit: neque hanc tantum, sed ipsum etiam Deum. Nec tamen hinc hæreticus dicitur factus. Posset enim quoquo modo putari ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare; non tale corpus cujus partes aliæ majores aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ propriè dicimus corpora (quamvis de anima tale aliquid sentiat) sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubique totus, & per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet. Non ergo ideò est Tertullianus factus hæ-

a Editi, sed eam effigiatum corpus esse contendit: neque hanc tantum, sed ipsum etiam Deum corporeum esse dicit, licet non effigiatum: nec tamen hinc &c. Expunximus quæ absunt à MSS.

hæreticus; sed quia transiens ad Cataphrygas, quos antè destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias contra apostolicam doctrinam tamquam supra damnare, & postmodum etiam ab ipsis divisus, sua conventicula propagavit. Dicit sanè etiam ipse animas hominum pessimas post mortem in dæmones verti. <sup>a</sup>

LXXXVII.

Est quædam hæresis rusticana in campo nostro, id est, Hipponensi, vel potius fuit: paulatim enim diminuta, in una exigua villa remanserat, in qua quidem paucissimi, sed omnes hoc fuerunt, qui omnes modò correcti & catholici facti sunt, nec aliquis illius supersedit erroris. <sup>b</sup> ABELONII vocabantur, punica declinatione nominis. Hos nonnulli dicunt ex filio Adæ fuisse nominatos, qui est vocatus Abel: unde Abelianos, vel Abeloitas eos nos possumus dicere. Non miscbantur uxoribus, & eis tamen sine uxoribus vivere sectæ ipsius dogmate non licebat. Mas ergo & femina sub continentia professione simul habitantes, puerum & puellam sibi adoptabant in ejusdem conjunctionis pacto successores suos futuros. Morre præventis quibusque singulis alii subrogabantur: dum tamen duo duobus disparis sexus in illius domus societate succederent. Utrolibet quippè parente defuncto, uno remanenti, usque ad ejus quoque obitum filii serviebant. Post cujus mortem etiam ipsi puerum & puellam similiter adoptabant. Nec umquam eis defuit unde adoptarent, generantibus circumquaque vicinis, & filios suos inopes

<sup>a</sup> Hinc rursus auctoritate MSS. removimus, quòd ex euis libri addebant, statum autem animæ credit per traducem propagari.

<sup>b</sup> In MSS. *Abeloite*.

pes ad spem hereditatis alienæ libenter dantibus.

PELAGIANORUM est hæresis, hoc tempore omnium recentissima à Pelagio monacho exorta. Quem magistrum Cælestius sic secutus est, ut sectatores eorum Cælestiani etiam nuncupentur. Hi Dei gratiæ, qua prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, & qua erumur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus atque in regnum ipsius transferamur, propter quod ait: *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*; & qua diffunditur caritas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur; in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata: cum si hoc verum esset, frustra Dominus dixisse videretur: *Sine me nihil potestis facere*. Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correctioni eorum hactenùs cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam. Dicendo utique, ut faciliùs possint, voluit credi, etiam si difficiliùs, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa divina. Illam verò gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus, non autem ad hoc per donum <sup>a</sup> Spiritus sui, ut quæ di-

LXXXVIII.

Eph. 1. 5.  
Col. 1. 13.Joan. 6.  
65.  
Rom. 5. 5.  
Gal. 5. 6.Joan. 15.  
5.

<sup>a</sup> Sic MSS. Editi verò, *Spiritus sancti*.

dicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc divinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur; caritatem autem dari negant, qua pie vivitur: ut scilicet cum sit Dei donum scientia quæ sine caritate inflat, non sit Dei donum ipsa caritas, quæ ut scientia non inflat, ædificat. Destruunt etiam orationes quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus & doctrinæ Dei resistantibus, ut convertantur ad Deum; sive pro fidelibus, ut augeatur in eis fides, & perseverent in ea. Hæc quippe non ab ipso accipere, sed à se ipsis homines habere contendunt; gratiam Dei qua liberamur ab impietate dicentes secundum merita nostra dari. Quod quidem Pelagius in episcopali iudicio palestino damnari metuens, damnare compulsus est; sed in posterioribus suis scriptis hoc invenitur docere. In id etiam progrediuntur, ut dicant vitam justorum in hoc sæculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula & ruga, quasi non sit Christi Ecclesia, quæ toto terrarum orbe clamat ad Deum: *Dimitte nobis debita nostra*. Parvulos etiam negant, secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci, ut prorsus non sit quod eis oporteat secunda nativitate dimitti: sed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Nam etiam si non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam & beatam quamdam vitam suam.

Ephes. 5.

27.

Math. 6.

18.

suam. Ipsum quoque Adam dicunt, etiam si non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque ita mortuum merito culpæ, sed conditione naturæ. Obijciuntur eis & alia nonnulla, sed ista sunt maximè, ex quibus intelliguntur etiam illa vel cuncta, vel penè cuncta pendere.

4. Ecce quàm multas commemoravimus hæreses, nec tamen modum tuæ postulationis implevimus. Ex quo enim christiana religio, ut verbis tuis utar, hæreditatis promissæ nomen accepit, quæ hæreses ortæ sint, quomodo commemorare omnes potui, qui omnes nosse non potui? Quod ideo existimo, quia nullus eorum quorum de hac re scripta legi, omnes posuit: quando quidem inveni apud alium, quas apud alium non inveni: & rursus apud istum, quas ille non posuit. Ego autem propterea plures quàm ipsi posui, quia collegi ex omnibus, quas omnes apud singulos non inveni, additis etiam quas ipse recolens apud ullum illorum invenire non potui. Undè meritò credo nec me posuisse omnes; quia nec omnes qui de hac re scripserunt, legere potui, neque hoc quemquam eorum video fecisse quos legi. Postremò etiamsi omnes forsitan posui, quod non puto, utrùm omnes sint utique nescio. Et ideo quod vis me loquente finire, non saltem potest, me cognoscente, comprehendere. Audi vi scripsisse de hæresibus sanctum Hieronymum, sed ipsum ejus Opusculum nec in nostra bibliotheca invenire potuimus, nec unde possit accipi, scimus. <sup>a</sup> Quod si tu scieris, per-

Peroratio.

<sup>a</sup> Hoc loco plerique MSS. ista interponunt: *certissimus homo studiosus librorum ejus cognitor, de hoc interrogatur ait,*

a perveni a ad illud, & forte habebis melius aliquid quàm hoc nostrum: quamvis nec ipsum, licet hominem doctissimum, omnes hæreses arbitrer indagare potuisse. Et certè Abeloitas nostræ regionis hæreticos, quantum existimo, ille nescivit; sic fortè & alibi alios in obscurissimis locis reconditos, ejus notitiam ipsa locorum suorum obscuritate fugientes.

5. Jam verò illud quod habent tuæ litteræ, ut omnia omnino dicamus, quibus hæretici à veritate dissentiunt, etiam si omnia scirem, facere non possem; quanto minus possum, qui omnia scire non possum? Sunt enim hæretici, quod fatendum est, qui singulis, vel non multo amplius, dogmatibus oppugnant regulam veritatis: sicut macedoniani, vel photiniani, atque alii quicumque ita se habent. Illi autem, ut ita dixerim, fabulones, id est, qui fabulas vanas eademque longas perpleasque contexunt, tam multis falsis dogmatibus pleni sunt, ut ipsi quoque illa numerare non possint, aut difficillimè possint. Nec ulli alieno ulla hæresis facile sic innotescit, ut suis: unde nec earum, quas commemoravi, omnia dogmata me dixisse, vel didicisse profiteor. Quis enim non videat quantam res ista operam, & quàm multas litteras flagitet? Nec ideò tamen parum prodest errores istos, quos

*nescio quem, qui hanc famam disseminavit, nescisse quid dixerit. Nam de hæresibus, inquit, nullum Opusculum sanctus Hieronymus condidit. Et prosequuntur: Quod si tu scieris &c. Exstat Hæresum indiculus Hieronymi nomine per Claudium Menardum post Augustini Opus imperfectum vulgatus: sed eruditorum sententiæ ipsi abjudicatur.*

a Sic Et & prope omnes MSS. at Lov. perveni, & ego per te ad illud perveniam, & forsitan habebis melius aliquid.

quos huic Operi intexui, lectos cognitosque vitare. Quid enim contra ista sentiat catholica Ecclesia, quod à me dicendum putasti, superfluo quæritur: cum propter hoc scire sufficiat eam contra ista sentire, nec aliquid horum in a fidem quemquam debere recipere. Quomodo autem quæ contra hæc veritas habet, asserenda ac defendenda sint, modulum Operis hujus excedit. Sed multum adjuvat cor fidele, nosse quid credendum non sit, etiam si disputandi facultate id refutare non possit. Omnis itaque christianus catholicus ista non debet credere: sed non omnis qui ista non credit, consequenter debet se christianum catholicum jam putare, vel dicere. Possunt enim & hæreses aliæ, quæ in hoc Opere nostro commemoratæ non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, christianus catholicus non erit. Quid ergo faciat hæreticum, deinceps requirendum est: ut cum hoc Domino adjuvante vitamus, non solum ea quæ scimus, verum etiam quæ nescimus, sive quæ jam orta sunt, sive quæ adhuc oriri poterunt, hæretica venena vitemus. Hujus autem sit jam voluminis finis, quod propterea vobis, antequam totum hoc Opus perficerem, credidi esse mittendum, ut illud quicumque legeritis, ad id quod restat implendum, quod tam magnum esse cernitis, me orationibus adjuvetis. b

a Plures MSS. in fide.

b Hic certè finitur Augustini liber: tametsi in codicibus MSS. plerisque addantur Nestoriani, & Eutychiani (hæreses utique non ante Augustini obitum nominatæ) & in quibusdam etiam Thimotheani, hoc ordine:

TIMOTHEANI dicunt Filium Dei verum quidem hominem ex virgine Maria natum, sed non ita unam reddidisse personam, ut non in unam sit redactus naturam,

ram, confiatorium quoddam volentes fuisse interiora virginis, per quod, duæ naturæ, id est, Deus & homo, in unam resolutæ & compactæ massam, unam Dei & hominis exhibuerint formam: immutata videlicet naturarum proprietate efficientium coitionem. Et ad confirmandam hujusmodi impietatem, quæ Deum asserit à sua versum naturam, cogunt Evangelistæ testimonium dicentis: Et Verbum caro factum est; quod ita interpretantur: Divina natura in humanam versa est. O abolitionem, illi inviolabili impingentem substantiæ! Hujus impietatis initium Timotheus, apud Bizam Bithyniæ modò exsulans civitatem, continentis & religiosæ vitæ imagine multis illudit.

NESTORIANI à Nestorio episcopo, qui contra catholicam fidem dogmatizare ausus est, Dominum nostrum Jesum Christum hominem tantum. (Plerique MSS. dogmatizare ausus est, Christum Dominum nostrum Deum hominem tantum) nec id quod mediator Dei & hominum effectus est, in utero virginis de Spiritu sancto fuisse conceptum, sed postea Deum homini fuisse permixtum: nec Deum hominem passum, sepultumque dicebat: vacuare contendens omne nostrum remedium, quo Verbum Dei sic hominem suscipere dignatus est in utero Virginis, ut una persona fieret Dei & hominis; propterea sic singulariter & mirabiliter natus, mortuus etiam pro nostris peccatis, cum ea quæ non rapuerat persolveret, Deus homo à mortuis resurgens adscendit in cælum.

EUTICHIANI ab Euthyche quodam constantinopolitanae Ecclesiae presbytero (addit quidam codex, monacho) exorti sunt, qui cum videretur refutare Nestorium, in Apollinarem, Manichæumque transiit, & humanitatis in Christo denegans veritatem, quidquid à Verbo nostræ proprietatis receptum est, divinæ tantummodo adscribit essentia; ut sacramentum salutis humanæ, quod non nisi in utraque substantia est, nostram in Christo naturam negando, dissolveret, stulta impietate non sentiens universo corpori auferri, quod capiti defuisset.





